

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 2662

**Auteur(s) :** Simon, Chartres (évêque)

**Bénéficiaire(s) :** Thiron-Gardais, La Sainte-Trinité de Tiron (abbaye)

**Bénéficiaire(s) :** Saint-Martin-du-Vieux-Bellême, Saint-Martin, dépendance Saint-Martin de Marmoutier (prieuré)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1284, 9 juillet

**Action juridique :** règlement conflit

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Sentence de Simon, évêque de Chartres, nommant un arbitre entre l'abbé et les religieux de Tyron, d'une part, et le prieur de Bellême de l'autre, relativement à la perception des dîmes de Saint-Laurent-de-Gâtine, en la paroisse de Boissi.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Barret Philibert (Abbé), *Cartulaire de Marmoutier pour le Perche, Mortagne-au-Perche, Meaux* (Documents sur la province du Perche ; 3e série, 2), 1894, n° 167, p. 169-170.

Texte établi d'après a

Universis... Symon, miseratione divina Carnotensis episcopus, salutem in Domino.

Noveritis quod cum inter religiosos viros abbatem et conventum monachorum de Tyronio, ex una parte, et priorem et prioratum de Belismo, ex altera, contencio verteretur super perceptione decimarum forensium cujusdam loci, cui nomen est Sanctus Laurentius de Gastina, siti in parochia de Buxeto, quas decimas dicti abbas et conventus asserebant esse communes inter ipsos et predictum priorem de Belismo, et de possessione quarum, quantum pertinebat ad medietatem ad se et monachos suos spectantem, dicebant se per dictum priorem violenter contra justiciam spoliatos extitisse : tandem dicte parte coram nobis constitute, pro bono pacis, super dicta contencione compromiserunt in venerabilem virum magistrum Raginaldum Mesgret, canonicum Cenomanensem, tanquam in arbitrum seu amicabilem compositorem seu ordinatorem, volentes et concedentes quod dictus magister, simpliciter et de plano et absque figura judicii, de dicta contencione et de jure utriusque partis, tam super proprietate quam super possessione, cognoscat et audiat rationes utriusque partis, tam facti quam juris, et privilegia earum inspiciat, compositiones et cetera munimenta et instrumenta videat, et probationes hinc inde recipiat, et omnibus rationibus utriusque partis, tam juris quam facti, auditis, privilegiis, compositionibus, instrumentis et munimentis, et probationibus hinc inde receptis et inspectis, dictam contencionem, tam super proprietate quam super possessione, pace vel judicio terminet, de alto et basso, et eidem finem imponat, prout viderit faciendum.

Et promiserunt dicte partes se tenere et inviolabiliter observare quicquid dictus magister super dicta contencione, tam super proprietate quam super possessione, et alto et basso, ordinandum duxerit seu et statuendum. Et habito partis utriusque [consensu], et adhibito consensu venerabilis patris Abbatis et conventus Majoris Monasterii Turonensis, dicte partes teneantur [ratihabere] et servare compromissum hujusmodi pena vel alio vinculo, prout

dicto magistro Raginaldo visum fuerit expedire. In cuius rei testimonium et munimen presentibus litteris sigillum nostrum duximus apponendum.

Datum anno Domini millesimo CC<sup>o</sup> octogesimo quarto, die dominica post festum sancti Martini estivalis.

Ita actum et concessum est a dictis partibus quod dictus magister R[aginaldus] decimas istius anni, de quibus est contencio, in manu sua habeat et teneat. Datum ut supra.